



**G**erardus Rhenensis apud Inferiores Germa-  
 nos natus et honestè educatus est. Is cum pri-  
 ma rudimēta in patria didicisset, ad doctorum ho-  
 minum conuentus se contulit, & in primis Histo-  
 riarum lectioni atque arti Poëticae incubuit. In ijs  
 quoq; studijs plurimùm profecit, atq; uiris doctis-  
 simis adnumeratus fuit. Scripsit Gerardus primò  
 Commentarios in Erasmi Roterodami Encomiū  
 Mariæ, qui Basileæ anno millesimo quingentesi-  
 mo uigesimo secundo fuerūt editi. In Petri quoq;  
 Hispani Dialecticam scholia fecit, atq; ob erudi-  
 tionem cunctis innotuit. Postea quoq; Ultraiecti-  
 næ regionis, quæ Batauiæ finitima est, elegantem  
 descriptionem carmine Hexametro proposuit, & quorundam eiusdem dío-  
 cœsis Episcoporum laudes, cum uarijs Germanicis Historijs, publicauit. Ita-  
 que factum ut Gerardus ob plurimas animi uirtutes & raram eruditionem  
 Erasmo Roterodamo & alijs claris uiris gratus extiterit, & ingenij sui monu-  
 menta ad posteros magna laude propagarit. Eras. lib. 13 Epist.